

cere posse. Sed tamen illi summo bellatori Acbilli,  
cum in castris esset, in clypeo fabrefecit Astra  
Vulcanus, significans & has artes in tutela Prin-  
cipum latere, & earum curam etiam inter arma  
non prorsus deponendam esse. Fortassis & usus  
earum Principibus notior ac gratior esset, si res  
magnas gererent. Sepe enim ex siderum positu  
regionum situs & intervalla, aut tempora ocu-  
lis notanda essent, ut Hectoris milites Excubia-  
rum tempora stellis discernunt apud Euripidem,  
cum de tertia vigilia dicunt iam occidisse Pleia-  
des, & ascendere ad caeli medium Aquilam  
ἀφ' ἑταίρου ἠμῶν καὶ ἰστέροισι πλειάδες  
αἰθέρα καὶ μέγα δ' αἰετὸς οὐρανοῦ ποταῖτον.  
Artificiosa descriptio est ternae vigiliae seu in vere  
seu paulo ante. Interdum & de futuris tempe-  
statibus ac eventibus aliquibus coniecturas non te-  
mere capere possent, quae vel diligentiam acuerēt,  
vel monerent aliquid de comitatibus aut itine-  
ribus. Sed ut caetera omittam, certe ad officium  
gubernatorum pertinet, curare, ut veram anni  
descriptionem retineant, qua amissa confusio in-  
finita religionum, historiarum, contractuum, iu-  
diciorum, denique totius vitae sequeretur. Hanc ob  
causam & olim sapientes principes expetiverūt  
hanc doctrinam, ac arbitror inde nomina quor-  
undam sideribus indita esse, quia vel ostenderant  
anni circuitum ac metas, vel emendaverant. De  
Atlante